



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Fratri Rainerio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

inter Ecclesiam tuam & monasterium
 * Falaren. super sepultura defunctorum
 multipliciter agebatur, æquitate suadete
 mandavimus ut monachi Falaren. nul-
 lum de cetero ad sepulturam recipiant,
 nisi sit eorum Oblatus, vel alius qui se-
 cundum institutionem Cisterciens. ordi-
 nis apud eos valeat sepeliri. Porro tam
 de Oblatis quam de aliis iussimus obser-
 vandum, ut quarta testamentorum red-
 datur illis Ecclesiis à quibus mortuorum
 corpora assumentur; nisi talis fuerit
 Oblatus qui habitum eorum suscepit
 ante mortem, vel antequam infirmare-
 tur se offerens, vivus transeat ad eorum
 monasterium tumulandus, fraudis om-
 nino cessante figmento. Sicut ergo su-
 per his quæ mandavimus, nullum Eccle-
 siæ tuæ volumus præjudicium irrogari,
 sic eidem monasterio nullum gravamen
 inferri. salvis per omnia Cisterciens. ordi-
 nis institutis. Quod autem de quarta
 testamentorum religionis favore man-
 davimus, nullum consuetudinibus & ra-
 tionibus aliarum Ecclesiarum volumus
 impedimentum præstare. Ne vero man-
 datum nostrum in dubium valeat revo-
 cari, ipsum præsentis pagina duximus an-
 notandum. Datum Laterani XII. Kal.
 Novembris.

*In eundem modum scribitur Abbati &
 Conventui Falarensi.*

FRATRI RAINERIO.

GRATUS tui nominis odor, & suavitas
 tuæ famæ dulcedo, per quam tuæ
 religionis honestas dignis undique lau-
 dum præconiis exaltatur, tam ex literis
 quam ex relatione plurium ad nos usque
 pervenit. ex quo tanto ampliori gratu-
 latione animi jocundamur, ac spiritus
 noster in Domino recreatur, qui suorum
 ministrorum dirigit actus in bonum,
 quanto tam ex communi fama quam ex
 confidentia quam de tua gerimus purita-
 te cognoscimus evidentiùs atque scimus
 quòd per opera quæ laudabiliter opera-
 ris ipso duce qui est lucerna pedum tuo-
 rum, & ipse Deus glorificatur in terris, &
 gloria nobis & Ecclesiæ Romanæ non
 modicus honor accrescunt. Nos igitur
 exemplo illius qui negotiatorem suum
 fidelem inveniens, ei multo majora com-
 misit, sperantes quòd pater omnium
 bonorum semper in melius tuas dirigat
 actiones, ut Ecclesias quas in locis, per

quæ transitum feceris, inveniès à suo sta-
 tu dilapsas, possis ad statum congruum
 revocare, statuendo in eis quæ secundum
 Deum videris statuenda, & corrigendo
 juxta canonicas sanctiones quæ corrigenda
 fuerint, liberam tibi concedimus au-
 ctoritate apostolica facultatem. Volu-
 mus autem ut ea propter quæ specialiter
 te direximus, principaliter exequaris.
 Nulli ergo &c. Datum Laterani III. Kal.
 Novembris.

AQVEN. ARCHIEPISCOPO.

CVM venerabilis frater noster Foro-
 julien. Episcopus recognoscens
 suam insufficientiam & defectum, & timens
 ex hoc sibi & Ecclesiæ suæ grave
 periculum imminere, nobis per suas literas
 intimasset quòd desiderium haberet
 ac propositum pontificali cedere digni-
 tati, nos volentes in hoc debita maturi-
 tate procedere, statum Forojulien. Ec-
 clestiæ ac personæ ipsius Episcopi tibi
 commisimus inquirendum, ut per te
 certi redderemur qualiter esset in ne-
 gotio procedendum. Sicut autem ex li-
 teris tuis nobis innotuit, tam Ecclesiæ
 Forojulien. quam ipsi Episcopo pluri-
 mum expedit ut eidem abrenuntiandi
 pontificali officio licentiam tribuamus;
 cum ille propter impedimenta tam cor-
 dis quam corporis non possit Ecclesiæ
 regimini congruè providere, & ipsius ad-
 ministratio potius redundet in ejusdem
 Ecclesiæ detrimentum. Volentes igitur
 tam saluti ejusdem Episcopi quam neces-
 sitatibus ipsius Ecclesiæ, prout tenemur
 ex injuncto nobis officio, præcavere,
 fraternitati tuæ per apostolica scripta
 mandamus quatenus solenniter & publi-
 cè ipsius recipias auctoritate apostolica
 cessionem. Facta verò cessione sponta-
 nea, Canonicos Forojulien. moneas & in-
 ducas ut alium Episcopum eligant, qui
 tam spiritualiter quam temporaliter sit
 idoneus ad gerendam sollicitudinem pa-
 storalem. Datum ut supra.

*NOBILI VIRO
 R. Comiti Tolosano.*

CVM in tantum te olim oriens ex
 alto respexerit, & tenebras tuæ
 mentis lux illa dignata fuerit illustrare
 quæ illuminat hominem venientem in
 hunc mundum, ut reconciliatus fueris
 ecclesiasticæ unitati, à qua fueras ob tuo-
 rum excessuum multitudinem separatus,
 G g

*Epist. 396.
 Ve resignatio-
 nem Episcopi
 Forojulienis
 recipiat, & aliū
 idoneum Episcopum
 eligi
 curet.*

** In vet. cod.
 MS. 110. B. P. Col-
 lator legitur,
 Falaren.*

*Epist. 397.
 Dant facultas
 reformandi Ec-
 clesiis per quas
 transitu fecerit.*

*Epist. 397.
 Ut contra Pa-
 ganos arma
 suscipias.*